

## Die Urkunden Karls des Großen, 148

Karolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum. Cum nos in dei nomine Theodonevilla palatio nostro una cum optimatibus et fidelibus nostris ad universorum causas audiendas vel recta iudicia terminanda resederemus ibique veniens Wicbertus missus noster una cum scabinis et testibus Moslinses, qui detulerunt nobis, eo quod res proprietatis nostre, id est monasterium quod dicitur Medolago, quod avus noster Karolus quondam maiorum domus Miloni beneficiavit et postea dominus et genitor noster Pippinus quondam rex ipsius Miloni beneficiavit et post discessum Miloni Harthamo episcopo, et adseruerunt, ut Leodonus quondam episcopus genitor Miloni et Widoni partibus ecclesie sancti Petri, que est constructa infra muros Treverice urbis, per sua strumenta delegasset; et dixerunt, qualiter Milo, qui fuit successor ipsius Leodoni episcopi et eo tempore episcopio sancti Petri Treverice urbis regebat, abbates in ipso monasterio de ipsa civitate misisset, id est Ebreo et post Ebreo Ratbertum episcopum et post Ratbertum Harthamum, qui et post discessum Miloni exinde vestitus fuit per beneficium Pippini regis, et tales testes vel scabini ibidem in presentia adfuerunt, qui per sacramenta hoc adfirmaverunt, ut vidissent et certissime cognovissent iusticiam esse sancti Petri ad episcopium Treverice urbis. Et ibidem de hac re contentio fuit inter Wicberto misso et filios Lantberti Widoni et Hrodoldo vel Warnario; nam agentes sancti Petri vel scabini dicebant, ut Lambertus genitor eorum per forciam potestate Pippini regis malo ordine ipsum monasterium invasisset et Harthamum episcopum exinde expoliasset. Et taliter iudicaverunt, ut per legem et iusticiam illa vestitura partibus nostris atque sancti Petri adesse debuisset, pro eo quod Milo et Harthamus ipsum monasterium per beneficium Karoli maioris domus et domni Pippini regis semper habuissent; sed Wido atque germani sui Hrodoldus et Warnarus contradixerunt, ut eorum fuisset vestitura, quia genitor eorum Lantbertus in legitima alode eos vestitos dimisisset et pro hac causa magna ibidem fuit contentio. Unde nos una cum fidelibus nostris totos scabinos de ducato Moslinse coniunximus, qui unanimiter iudicaverunt, ut Wido et germani sui tales auctoritates non habuissent, qualiter genitor eorum contra Pippinum regem ipsum monasterium evindicasset, nostra legitima ad partes sancti Petri esse deberet vestitura. Sed dum Wido et germani sui de vestitura legitima nec testes neque scabinos habere potuerunt, tunc eis iudicatum fuit, ut in presentia nostra iam fato monasterio partibus nostris in causa sancti Petri Treverensis cum fide facta reddere deberent; quod ita et fecerunt et per missum eorum vestitura a partibus sancti Petri Treverensis, ubi Weomadus archiepiscopus pontifex esse videtur, presentialiter fecerunt, sicuti eis a nobis vel fidelibus nostris iudicatum fuit, id sunt Angalramno, Petro et Bornoni episcopis, Erhardo, Walarano, Ernust, Warnario, Huncelino, Warlando, Waltario, Rimigaudo, Hainrico, Gaeroni et Hieronimo comitibus nec non et a reliquis fidelibus nostris scabinos Theutfrido, Waltario, Hildrado, Theuthario, Ebreardo, Baldoino, Gerhac, Gundacro, Gisleberto, Buou, Theodo, Fulcoino, Hadegario, Alpcario, Gunihario, Aldmanno, Folrado, Bolso, Gundolando, Odilhario, Ricfrido, Teutberto, Helengario, Ravangario, Odilberto, Unifrido, Ebrehelmo, Herardo, Audo, Barigaudo, Warmado, Hereberto, Rotfrido, Beregrimo, Adalingo, Regulo, Obbon, Thietdingo, Trutberto, Walanco, Riegaulo, item Guniario, Gunilaigo et Walachario seu comiti palatii nostri Woradi vel ceteris quam plures fidelibus, qui ibidem aderant, visi sumus iudicasse, ut suprascriptus Weomadus archiepiscopus tale preceptum vel iudicium evindicatum de iam dicto monasterio Medolaco una cum rebus et hominibus suis ad se pertinentibus vel aspicientes partibus sui Treverensium accipere deberet. Quod ita et fecimus, ut ipse et

successores sui, qui fuerint rectores ipsius episcopati, suprascripto monasterio omni tempore habeant elidiatum atque evindicatum et sit in postmodum ex hac re inter ipsos subita ac definitiva causatio.